

8814

1770, 26.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
CAVTIO VSVFRVCTVA.
RIA POSSIT A TESTATORE
REMITTI

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAE SIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO

DIE I. AVGVST. ANNO CICICCLXX.

DEFENDET
JOANNES JOSEPHVS HORN
GIESMANSDORFIO SILESIENS.

LIPSIAE
LITERIS RVMPFIIIS.





AN

CAVTIO VSVFR VCTVARIA POSSIT A TESTATORE REMITTI.



§. I.

Qui alterius re vtitur fruietur, cum et salua tantum substantia vti fruiue debeat, seu boni viri arbitratu, quo finito vusufructu restitui possit proprietario ipsa res, vt aequissimum Praetori videbatur, caue-re tenebatur proprietario, se boni viri arbitratu re vsum et fruiturum. Non tantum vero haec cautio exigi potest antequam res vusufructuaria tradatur, verum etiam, si iam tradita sit, adhuc exigi poterit, in qua posteriori causa PROCVLVS apud VLPIANVM in L. 7. princ. ff. Vusufruct. quemadm. caueat. modum, per quem cautio adhuc peti possit, exhibet. Verba sunt: *Et si vusufructus nomine, re tradita, satisdatum non fuerit: Proculus ait: posse heredem*

A 2

rem



rem vindicare; et si obiciatur exceptio de re *vſusfructuſ nominē tradita, replicandum erit.* (sc. cautionem adhuc non esse praestitam,) *quae ſententia habet rationem.* Addit vero **V LPIANVS:** *Sed et ipſa ſtipulatio condici poterit.*

§. II.

Haec vero ipſa cautio in regula necessario praestanda teste ipſo **V LPIANO** in *L. 9. §. 1. ff. vſusfr.* quemad. cau. At negari nequit, in quibusdam ſpeciebus ipſam cautionem exigi non posſe, vt exemplum habet **I D E M.** c. l. §. 2. Ait: *Plane ſi ex die proprietas alicui legata ſit, vſusfructuſ pure; dicendum eſſe Pomponius ait, remittendam eſſe hanc cautionem fructuario: quia certum ſit, ad eum proprietatem vel ad heredem, eius peruenientiam.* Neque defunt aliae species in quibus cautio remitti posſet, neque dubitandum videtur, quin ipſe proprietarius, qui cautionem exigere poterat, eandem vel expreſſe ita voluntatem declarando, vel per integrum tempus vſusfructuſ non exigendo, tacite eam remittere posſit.

§. III.

Sed grauissima lis orta: *an a teſtatore, qui vni proprietatem alteri vſumfructuſ reliquerat, in teſtamento cautionem remitti poſſit.* Sunt qui adſirmant, poſſe remitti; ſunt qui negant. Vtrorumque argumenta paucis examinabimus, et dein, quid nobis videatur, definiamus.

§. IV.

Ii qui adſirmant, ex eo deducunt, quod absurdum videretur eum, cui reliqua eſt proprietas, poſſe cautionem remittere, verum eum, a cuius liberalitate pendebat

¶ + ¶

5.

bat proprietatis acquisitionis, non aequae posse remittere, seu ut argumentum legitur apud Marc LYCKLAMA Membran, L. VII. Eclog. 29. *Heres, quod voluntas testatoris ei non dedit, non habet. Vel si viuis sit data licentia, negare eam male morientibus.* Huic sententiae inter alios calculum addere videatur BACHOVIVS ad Treutl. Vol. I. Disput. XV. Thes. VI. Lit. D. Neque desunt, qui prouocant, ex eo, quod qui ex cuius persona lucrum capiat, eius factum praestare teneatur, ad L. 149. ff. de Reg. Iur. probatur, quod, cum proprietarius ex persona testatoris sui lucrum capiat in relictio eius usufructu, eius factum in remissa cautione usufructuaria in testamento praestare quoque teneatur.

§. V.

Qui contra sentiunt atque testatori negant remissionem, inter quos est Gerh. NOOT. de Vusufr. L. 1. cap. XIX Elbert. LEONINVS de Vusufruct. cap. XVII. n. 6. WISSENBACH ad ff. Disp. XIX. b. t. multique alii prouocant ad autoritatem Rescripti Imperatorum SEVERI et ANTONINI in L. 1. C. de Vusufruct. Verba sunt Rescripti: *Si usufructus omnium bonorum testamentio uxoris marito relictus est: quamvis CAUTIONEM A TE PROHIBVERIT EXIGI; tamen non aliter a debitoribus solutam pecuniam accipere poteris, quam oblata secundum formam SCti cautionem.* Prouocant amplius ad Rescriptum ALEXANDRI. A. in L. 7. C. vt in possess. legat, videlicet: *Scire debetis fideicommissi quidem et legati satisfactionem remitti posse, diuum Marcum et diuum Commodum constituisse.* *Vt autem boni viri arbitratu is, cui usufructus relictus est, vtratur fruatur; minime satisfactionem REMITTI TESTAMENTO POSSE.* Et IULIANI ICti autoritas in L. 6. ff. vt in possess. legat. in hanc rem excitatur, qui scribit: *Si pecuniae numeratae usufructus legatus esset; et in*

A 3:

testamen-



testamento caustum, ne eo nomine SATISDARETVR: proprietas non est legata: Sed legatario permittendum satisdare et usum-fructum pecuniae habere: et propemodum in hac propositione natae Praetoris erunt partes; quia, nisi satisdetur, agi cum herede non poterit.

§. VI.

Iam videamus quae opinio vel tanquam probata fas-tis alteri anteferenda sit. Quod ad adfirmantium argu-menta pertinet pleraque argumenta suo robore necessario destruuntur. Nihil enim probabunt ex L. c. 149 ff. de Reg. Iur. Docuerunt enim satis interpretes, hanc regulam ad plane alia themata pertinere. Quis vero adfirmaret, usu-fructuarium ex PERSONA sui testatoris lucrum capere. Capit magis ex eius ultima voluntate liberali. Lex enim 149. cit. vt patet ex illius Inscriptione, referri debet ad Ma-teriam Interdicti quod vi aut clam. vt lac. R A E V A R D V S ad cit leg. 149. de R. I. explicat. Neque dubito magis coniungere hanc L. cum L. 6. ff. quod vi et Clam. quae ex eod. Pauli Libro LXVII. ad Edic. defumta quippe quae speciem con-tinet, cuius decidendi causam habet all. l. 149. Ait PA-VLVS: Si ego tibi mandauero opus nouum facere, tu alii: non potest videri meo iussu factum, teneberis ergo tu et ille: an et ego tenebar, videamus: et magis est et me, qui initium ei praefite-rim, teneri, sed uno ex his satisfacente ceteri liberantur. Quis non videt, egregie ad decisionem: an ego tenebar, quadra-re regulam: Ex qua persona quis lucrum capit (quod nouo opere facto siebat) eius factum pragmata debet. Patet ex hac specie, illam regulam ad nostram quaestionem plane non pertinere.

§. VII.

Nec maioris ponderis est alterum argumentum. Verum quidem est, heredem non habere, quod eidem non



7

non dat testatoris voluntas; sed quis probabit, cautio-
nem ex testatoris arbitrio pendere. Capit vsumfructum
ex liberalitate testatoris, sed ex iuris dispositione exigit
cautionem. Quod ergo a testatoris liberalitate non pen-
det, ab eo remitti nequit. Accedit, si prohibitio legis
adsit, vt appareat ex LL. §. V. allegatis, nullo modo fieri
poterit, vt testator contra legis arbitrium aliquid disponat.
Sed videamus, an vera prohibitio adsit.

§. VIII.

Quis vero dubitet de legis prohibitione, cum auto-
ritas adsit in L. 1. C. de vſufr. L. 7. C. vt in possſſ. legat. L. 6.
ff. vt in possſſ. legat. Tamen non omnino liquida mihi illa
videtur prohibitio. Confundere mihi videntur interpre-
tes cautionem vſufructuariam Praetoris Edicto introdu-
ctam, cum ea, quae in quasi vſufructu, seu qui in rebus
consitit, quae pondere, numero et mensura constant ex
SCto sub Tiberio facto, comprobata fuit. Ex L. 1. C. de
vſufr. patet ibi agi de pecunia a debitoribus vſufructuario
ſoluenda. Vſusfructus enim omnium bonorum comprehen-
dit res non fungibles et fungibles, ad quas pecunia
refertur. Debet ergo cautio vſufructaria et quasi vſufruc-
tuaria constitui. De priori nihil Imperator: de poste-
riori negat, remitti posse. Nec Juliani autoritas in L. 6.
ff. vt in possſſ. legat. rem conficiet. Patet enim ex verbis
legis, ICtum egiſſe de vſufructu pecuniae legato, in qua
quasi vſufructus erat, adeoque quasi vſufructaria cautio
praestanda, qua cauebat vſufructarius, se in eodem genere,
quantitate et qualitate tantudem, vel ipsam aeftimatio-
nem finito quasi vſufructu restituturum. Ex quo facile
consequimur, ad nostram causam non pertinere hanc Iu-
liani sententiam.

§. IX.



§. IX.

Supereft itaque *Alexandri* autoritas in *L. 7. C. all.*
quae sat manifesta est, atque in qua de vera cautione vſu-
fructuaria fermo est, ob verba: *vt boni viri arbitrauſtatur
fruatur.* Minime vero nos dubitare ſinunt verba: *mi-
nime fatisdationem remitti testamento poſſe,* adeffe prohibi-
tionem, ne remittatur illa cautio. Hinc facile etiam pa-
tet, que huius iuris cauſa. Potest quidem testator ſuac
liberalitati modum, quem velit ponere, cum vni pro-
prietatem, alteri vſumfructum relinqueret; at vero haud
poterat efficere, *vt et ſua liberalitas effectu desti-
tueretur, si omni careret ſecuritate, ne vſufructuarius re-
abuteretur, vel si peccandi occaſionem daret, remiſſa illa
cautione.*

T A N T V M.



VD18

ULB Halle
007 208 200

3





Farbkarte #13

B.I.G. Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

8
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

1770/26.

8814
QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI

A N

CAVTIO VSFRVCTVA.
RIA POSSIT A TESTATORE
REMITTI

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

DIE I. AVGUST. ANNO CICICCLXX.

D E F E N D E T

JOANNES IOSEPHVS HORN
GIESMANSDORFIO SILESIENS.

L I P S I A E
L I T E R I S R V M P F I L S.